



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XV. De ieiunium violante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

rit, ea quæ est loco colli obstricti multa compensato: Deo autem, prout ei fuerit imperatum, facito satis. Seruus si opus fecerit, vapulato, aut pro facti ratione virgarum metum precio redimito. Herus si seruo inuito opus addixerit die quocumque festo, seruo multator suo, seruus deinceps liber esto. Herus præterea si in Dacis fuerit, violatæ legis pœnam dependito, Anglus pro facti ratione aut multa afficitor, aut crimen purgato.

XV.

Regii manus-
cripti
capitulum
14.

Liberæ conditionis Dacus, si indictum cibo sumpto dissoluerit ieiunium, violati iuris pœnas dato: Anglus pro ratione facinoris multator. Malum id quidem est ante * prandium ieiunii instituti tempore quidquam cibi sumere, peius tamen comesta carne seipsum foedare. Seruorum aliquis si id fecerit, verberibus, vt res flagitarit, afficitor.

XVI.

Regii manus-
cripti
capitulum
16.

Siue quis dimicatione, matrimonio, rapina, siue alio quocumque parato facinore flagitioso, celebrandum quadragesimæ violarit ieiunium, compensatio in duplum augetor. Idem iuris esto pro ratione facti, si horum aliquod festo celebri quocumque fuerit factitatum. Sin quis crimen purgare voluerit, purgatio tripla est afferenda.

XVII.

Regii manus-
cripti
capitulum
17.

Dacus si cuiquam iura atque debitiones diuinas petenti vi illata restiterit ac repugnarit, legis violatæ pœnam dependito: Anglus graui afficitor multa, nisi quidem adiunctis sibi viris vndenis omni se culpa exoluerit; sin cuiquam vulnus impresserit, compensato, grauem domino multam dependito, illi denique manus, ni eas ab episcopo redemerit, præciduntor. Quin si cuiquam mortem obtulerit, omni tum iuris commoditate priuator, eumque omnes iustitiæ cultores clamore insequuntor. Atqui si eum iuri repugnantem sua culpa morte occubuisse liquido confirmetur, impune esto, neque vero propterea quidquam penditor.

XVIII.

Si quis sacrum ordinem atque viuendi formulam commutarit, pro ipsa ordinis dignitate, siue capitis asti-